

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0914

0912

0918

0908

0923

0903

0963

0863

1013

0813

0413

Ende

Anfang

341

Ingredientibus autem nobis urbem factus est magnus concursus
populorum ad videndum nos, quia in multis annis non fuerant
ibi peregrini latini, et erat quasi monstruosa res videre ibi
Christianos latinos occidentales. Induxerunt ergo nos in pu-
blicum civitatis diversorum cum omnibus bestiis nostris et
locum spatiostum stabulis bestiarum et cellulis hominum infe-
rius et superius bene aptatum habuimus et curiam magnam,
quae porta firmiter cludebatur. Erat enim habitatio magna
et lata, sicut monasterium. Sunt enim hospitia orientalium
diversoria (6a) sine inhabitatore, solum ad alienos spectan-
tia. De dispositione diversorum et hospitorum in oriente
vide Parte I. Folio 195. A.

Cum autem diversorum ingressi fuissemus, onera depo-
suimus et bestias locavimus in inferiori ambitu, in superiori
vero pro nobis habitacula et cellulas elegimus et in eis lec-
tulos nostros stravimus et locum pro coquendis cibis aptavi-
mus, lignaque pro igne comparavimus et ita cuncta disposui-
mus, ac si per aliquot dies ibi mansuri essemus. Interea
venit Calinus magnus cum aliquibus Sarracenis de civitate,
dicens, quod, quia adhuc multum superesset de die, expe-
diens esset, ut illo sero loca sancta visitaremus, ut in crasti-
num mane ante aestum solis recedere possemus. Et hoc nobis
placuit, quia timebamus diutinam detentionem in loco.

De agro plasmationis Adae, qui dicitur ager Damascenus.

Egressi ergo sumus de hospitio nostro et per longum
civitatis vicum transivimus, in quo diversi residebant artifi-
ces, praecipue tamen vitriatores: fiunt enim ibi vitra, non
quidem clara, sed nigra et de mediis coloribus. Adhaesit
autem nobis magna hominum multitudo post nos currentum,
quia spectaculum fuit, videre ibi occidentales. Deinde perve-
nimus ad civitatis portam, per quam egressi via regia ad
agrum venimus maceria circumseptum, et ibi substittimus,
respicientes per maceriam in ipsum agrum utique spectabilem
et mirabilem. Erat enim ager dictus Damascenus, in quo
Adam protoparens fuit plasmatus. Cum audivissemus hunc

